



Heinricus apud Heluetios honestis parētibus natus est, anno circiter 1500. Is cum felici inge-
nio præditus esset, à pueris operam literis dedit, &
prima rudimenta facile percepit. postea sese hinc in
de per Germaniam ad uarias academias cōtulit, &
in primis artium & linguarum studio tanta diligen-
tia incubuit, ut omnium acclamatiōne liberaliū arti-
um Magister crearetur. Deinde quoque sacrī lite-
ris incubuit, & Bibliorum lectionem sibi familiarē
reddidit, idque eo tempore, cum Lutherus in Saxo-
nia, atque Zwinglius in Heluetia Euangelij doctri-
nam publicare cœpissent. Itaque in patriam reuersus
in monasterio Capella Tigurinorum ditionis pæ-
dagogus ascitus ab eius loci docto abbatte fuit, anno 1522. Ibi cum adolescen-
tiam omni genere literarum & uirtutum imbueret, atque Tigurinus senatus in
urbe & agro religionem restaurasset, Bullingerus quoque in uerbi Dei mini-
strum assumitur. Tum demum multò diligentius libris inhæsit, atque præcepto
re Zwinglio usus, Theologiæ documēta singulari assiduitate percepit. quin
etiam linguarum mysteria dīdicit, & sua eruditione cunctis innotuit. Accede-
bat & uitæ integritas, docendi perspicuitas, & naturalis quædā facundia. Itaque
factum ut post Huldrici Zwingli obitum anno 1532 Tigurinorum pastor cō-
stitueretur. Eam functionem is magna animi moderatione suscepit, et nihil in-
termisit, quod ad Christi gloriam, & Ecclesiæ suæ ædificationem facere uide-
retur. Cum etiam multi Theologorum Zwingli doctrinam de Eucharistia
reprehenderent, ipse Zwinglium excusauit, & per multos annos ferè so-
lus eam sententiam Verbo Dei consentaneam, uiua uoce & multis libellis æ-
ditis, afferuit.